



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 10. An est obligatio sub mortali eligendi vel præponendi dignorem in
Superiore Regularium, licet Prælatura sit temporalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

DE OBLIGATIONIBUS.

83

sess. 25. c. 2. Superiores tenentur singulis subditis omnia, quæ iis necessaria sunt suppeditare ex bonis communis: nam ex officio vices parentum erga illos gerunt, & bona ad hunc finem Religioni donata sunt; alioqui & dant occasionem multis malis ac peccatis, & interdum violationi paupertatis. Bona verba suorum sustentationi superflua erogare tenentur in causas pias, ut dixi de Clericis: nam bona Religionis sunt bona DEO dicata & in ejus cultum donata. *Reginal. & alii.*

Q. 10. *An est obligatio sub mortali eligendi vel proponendi digniorem in Superiorum regularium, licet Prælatura sit temporalis?*

Resp. *Aff. Est communis, teste De Lugo.* Quia 1. eadem est ratio, ac de Episcopo & Parocho, cum Superior Religiosorum sit animarum Pastor, & habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, imò & ad perfectionem promovere tenetur ex suo munere. 2. Alioqui grave damnum spirituale inferetur Religioni; nec efficaciter subditi ad perfectionem adducentur, ut experientia conitat. Et verò (ut ait De Lugo Disp. 35. Sect. 5.) eadem mala oriri possunt in Religione, si non elegantur dignissimi, quæ in Ecclesia, cum facile possint eligi indigni, qui digni videbantur; & cum adeò difficile sit invenire verè & absolutè dignum, qui suo exemplo & prudentiâ continere possit subditos

F 2

tos

tos in disciplina Religiosa, & hanc, si (ut plerumque contingit) relaxata sit, ad primitum & debitum rigorem reducere, subditosque ad perfectionem Religiosam promovere, qui est finis gubernationis Religiosæ. Ita ille.

Q. II. *An licet fœminis ingredi domum Religiosorum?*

Resp. Certum est id non licere iis, nec Superiori eas admittere: nam id semper generatim, saltem ex consuetudine vim legis habente, prohibitum fuit, ut constat ex S. Greg. M. l. 3. Epist. 4. & aperte supponunt Pius V. & Gregor. XIII. revocantes licentiam ingredi domos Religiosorum, quam mulieres prænobiles & Ducissæ prætendebant. Imò ex Bulla Pii V. *Regularium.* Et Bulla *Decet omnes fœminæ ingredientes domos Religiosorum,* extra casus permisso, incurruunt ipso facto Excommunicationem Papæ reservatam, nisi excusat ob ignorantiam; & Religiosi, qui illas introducere, admittereve præsumunt, incurruunt ipso facto poenam privationis Officiorum, & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, & suspensionis à divinis. Dicitur tamen Pius V. declarasse se non prohibere ingressum fœminarum in claustra Religiosorum causâ Processionis & Sepulturæ. Non tamen eis tunc licet alia loca ingredi, etiam hortum. Vide Sanchez, l. 6. c. 17. Omnibus verò tam viris quam fœminis sub excommunicatione ipso